

uobiscum est ad uos ueni. Vestra autem causa me nec 3  
ullius alterius loqui quae loquor apud uos uel ea fides sit  
quod neque dum uestris uiribus restitistis neque dum auxilia  
ab Romanis sperastis pacis unquam apud uos mentionem  
feci. Postquam nec ab Romanis uobis ulla est spes nec 4  
uestra uos iam aut arma aut moenia satis defendunt, pacem  
adfero ad uos magis necessariam quam aequam. Cuius ita 5  
aliqua spes est, si eam, quemadmodum ut uictor fert Han-  
nibal, sic uos ut uicti audiatis; si non id quod amittitur in  
damno, cum omnia uictoris sint, sed quidquid relinquitur  
pro munere habituri estis. Vrbem uobis, quam ex magna 6  
parte dirutam, captam fere totam habet, adimit: agros  
relinquit, locum adsignaturus in quo nouum oppidum aedi-  
ficitis. Aurum et argentum omne, publicum priuatumque,  
ad se iubet deferri: corpora uestra coniugum ac liberorum 7  
uestrorum seruat in uiolata, si inermes cum binis uestimentis  
uelitis ab Sagunto exire. Haec uictor hostis imperat; haec, 8  
quamquam sunt grauia atque acerba, fortuna uestra uobis  
suadet. Evidem haud despero, cum omnium potestas  
ei facta sit, aliquid ex his rebus remissurum; sed uel haec 9  
patienda censeo potius quam trucidari corpora uestra, rapi  
trahique ante ora uestra coniuges ac liberos belli iure sinatis.'

Ad haec audienda cum circumfusa paulatim multitudine 14  
permixtum senatui esset populi concilium, repente primores  
secessione facta priusquam responsum daretur argentum au-  
rumque omne ex publico priuatoque in forum conlatum in  
ignem ad id raptim factum concientes eodem plerique semet